

unitæ affectiones simpliciter & solitariè de corpore naturali dicuntur, vel ubi unitæ solitariè & sine oppositi illatione, ut cum dico Omne corpus naturale est quantum, est quale &c. *Disjunctæ* non simpliciter sed cum disjunctione de corpore naturali dicuntur, vel conjunctim & cum illatione membri oppositi totum corpus naturale adæquatè exhauriunt, ut cum dico, Omne corpus naturale aut motum habet aut quietem. Et quidem rectissimè in disjunctis utrumq; membrum assumitur, ut exhauriatur subjecti latitudo. Falsa est propositio: Omne corpus naturale habet motum. Falsa & illa: Omne corpus naturale habet quietem. Conjunctio ergò fiat, cum membrum unum non sufficiat. Quies ergò addatur, sed cum disjunctione, ut fiat affectio disjuncta h. m. Omne corpus naturale vel habet motum, vel habet quietem. Sic non repugnat esse affectionem disjunctam & dici conjunctim. Diverso enim respectu fit utrumq;ve, alterum ratione membri adjiciendi, alterum ratione particulæ disjunctivæ, quæ adhibenda. Et potius dicimus, eas conjunctim, quàm disjunctim de corpore naturali prædicari. Sic enim Unitis opponuntur, quæ simpliciter & solitariè dicuntur. Conjungenda sunt membra, ut exhauriatur subjectum. Cum dico: Omne corpus naturale habet quantitatem, nihil jungendum est. Cum ajo: omne corpus naturale habet motum, aliquid addendum est. Sic & in Metaphysicâ disjunctæ Entis affectiones conjunctionem requirunt. Membrum enim unum non sufficit, jungendum igitur alterum; Quod adeò necessarium, ut nonnulli Metaphysicorum affectiones eas vocent conjunctas. Sic disjunctæ amant conjunctionem, conjunctæ amant disjunctionem, quemadmodum ea pluribus asserit atq; vindicat *B. Spertingius in defens. Synops. Phys. p. 747.*

§. 3. Sic affectiones *intrinsecæ* juxta atq; *extrinsecæ* suam hîc merentur locum, quarum *illæ* in corpore, *hæc* extra corpus sunt. Et ut *intrinsecæ* sunt simpliciter insitæ, sic *extrinsecæ* suo modo. Nam & hæ propter internum principium corpori competunt, quanquam respectum ad aliquod externum connotent. Sic in corpore est quantitas, qualitas: Extra corpus est

est